



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Theologica, Ad Mentem S. P. Avgvstini, De
Radice Intolerabilivm, scandalosarum, & in praxi
perniciosarum propositionum, à summis Pontificibus
Alexandro VII, & Innocentio XI. damnatarum**

Schweitzer, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1679

Prævia explicatione legis naturalis, prout existit in Deo & homine, & distinctione præceptorum Decalogi in ea, quæ Deum respiciunt, & quæ disponunt hominem benè erga proximum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38917

cusat à peccato; ergo consuetudinarii, qui se ipsos obdurarunt & excoecarunt sunt meliori loco, quam alii, qui veritatem cognoscunt. Respondeo negando consequentiam, quia consuetudinarii agentes contra legem naturalem & divinam sufficienter propositam &c. non laborant ignorantia invincibili, est enim illis ignorantia voluntaria, ut magis patebit ex dicendis. Videri potest dissertatio de sufficientia & necessitate Pœnitentiæ &c. dubio 6. & 9.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

An secundùm Augustinum detur ignorantia invincibilis Iuris naturalis?

DE Jure sive lege naturali dicit S. Augustinus lib. 2. Confess. c. 4. *Lex tua, Domine, in cordibus hominum scripta est &c.* Eo ipso enim, quod Deus voluerit naturam rationalem creare, & sapienter gubernare, voluit, imò debuit curare, ut viveret conformiter suæ naturæ, & consequenter eam obligare, ad fugienda ea, quæ sunt intrinsecè & ex naturâ suâ mala, & ad prosequenda opposita bona. Lex igitur naturalis, prout in Deo existit, non distinguitur adæquatè à lege æterna. Consistit enim in ordinatione divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva creaturarum rationalium, modo jam dicto: cujus ordinationis sive dictaminis divini imago, & participatio est lex naturalis, prout existit formaliter in ipsâ creaturâ, id est, dictamen actuale
rectæ

rectæ rationis, quo præcipitur rationali creaturæ, ut memorata mala fugiat, & bona prosequatur. Dixi *formaliter*; quia si sermo sit de lege naturali fundamentaliter, & in actu primo spectatâ, non distinguitur ab ipsâ naturâ rationali, sive lumine naturali intellectus in actu primo, sive à vi discernendi honesta & turpia, atque obligandi ad hæc fugienda, & illa prosequenda, de quibus latius solet tractari in materiâ de legibus. Continet autem lex naturalis duplicis generis præcepta, videlicet communia, & particularia. Commune est illud: *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri.* Particularia sunt quasi conclusiones, quæ ex communibus deducuntur.

Nota; Tria præceptorum in Decalogo contentorum, quæ vocantur primæ tabulæ, respicere Deum, & divinam Religionem; septem, quæ secundæ tabulæ nominantur, disponere hominem benè erga proximum, & tam hæc, quam illa, non minus Christianis esse observanda, quàm fuerint observanda Judæis; imo magis, secundum S. Augustinum, qui Tract. 3. in Joan. ait: *Illam omnia præcepta nobis magis præcipiuntur, & observanda sunt.*

Celeberrima, & magni momenti inter Recentiores Theologos controversia est, an detur ignorantia invincibilis legis naturalis? Sententiam affirmativam amplectuntur illi, quos Probabilistas vocant; Negativam verò Probabilitatis vagæ Impugnatores. Dixi *inter Recentiores*, quia Vasquez 1. 2. disp. 122. cap. 1. & Paulus Comitulus, lib. 5. resp.